Dissertatio medica inauguralis, de pseudo syphilide / [Alexander Jack].

Contributors

Jack, Alexander

Publication/Creation

Edinburgh : C. Stewart, 1819.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/zrff5by7

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PSEUDO SYPHILIDE.

4

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PSEUDO SYPHILIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER JACK,

CLASS. REG. CHIRURGUS, COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOCIUS,
ET COLL. REG. CHIRURG. EDIN. PERMISSUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXIX.

VIRIS CLARISSIMIS,

PHILIPPO BOWES VERE BROKE,

BARONETTO,

ET BALNEI EQUITI,

IN CLASSE REGIA PRÆFECTO

IMPERATORIO;

NECNON

JACOBO RICHARDO DACRES,

ARMIGERO,

ET IN CLASSE REGIA PRÆFECTO

IMPERATORIO;

SUB QUIBUS, IN REGIS NAVIBUS

SHANNON ET TIBER

DICTIS,

MULTOS PER ANNOS CHIRURGI MUNERA

EXERCEBAT,

PROPTER AMICITIAM ET BENEFICIA MULTA,

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

GRATISSIMUS

DICAT

ALEXANDER JACK.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PSEUDO SYPHILIDE.

Nullo tempore, ad morbos venereos vel illos affectus omnibus temporibus his quodammodo similes, quam nunc, præcipuè in his insulis, plus attentionis adhibitum fuerit; et ab investigationibus nunc pergentibus, multum commodi generalis, in ratione medendi istos morbos, oriturum esse, sperandum est.

Malum de quo jam disserturus sum, Luem Veneream, quod ad symptomata ejus, adeo refert, ut historiæ vel rationi medendi ejus

ut morbi separati, nulla attentio diu tributa fuit.

Denique tamen, medici, diagnosin inter affectum de quo loqui consilium est, nimirum, Pseudo Syphilidem, vel, ut alii volunt, Cachexiam Syphiloideam, Luemque Venerean, instituere inceperunt. A tempore tamen, quo auctores medici de hac re disserere cœperunt; illi, quibus occasiones fuerunt frequentissimæ, hæc vitia observandi et curandi, eam sedulo animadverterunt.

Pseudo Syphilidem ob effectus diversissimos ab hydrargyro in hoc morbo, ac in Lue Venereâ, plerumque exhibitos, nullam attentionem tamdiu occupasse, potius est mirandum. In morbo posteriore, hydrargyrus diu, et tantum factum est alitèr nuperrimè, pro solo antidoto certissimo habitus erat. Sed in Pseudo Syphilide, hoc medicamentum effectus perniciosissimos, morbo sub omnibus ejus formis aggravato, in systemate plerumquè inducit.

Nolo tamen affirmare, hydrargyrum nunquàm prodesse; è contra, hunc in certa copia cum fructu esse usurpandum, et præcipuè in illo modo, quo systema afficiat, adeo ut secre-

tionem bilis, quæ in hoc morbo, multum turbari cognita est, in melius mutet experientia docet.

Sed hydrargyrus, copiosissimè ut olim, et etiam adhuc, exhibitus est ab multis medicis, vehementiam morbi, procul dubio, auget; injuriâ haud compensandâ constitutioni allatâ. Plurima palata nasosque corrupta, quae quotidiè, vel potiùs olim vidimus; nam istas mutilationes credo nunc esse rariores, ob meliorem medendi rationem, in vitiis venereis nunc exercitam; huic causæ referenda esse nil dubito; et sperandum est rem medicam jam eo usquè profectam esse, ut talia in conspectum postea rariora ventura sint.

Quæratur, num Pseudo Syphilis morbus est sui generis, vel tantum forma diversa Luis Venereæ. Hoc difficile est statutu; sed num sit hæc vel altera, signa peculiaria occurrunt, quæ discrimina certa, in his malis denotant; non reverâ, semper bene notata, illis præsertim quibus hæc mala non probe perspecta sunt; nihilominus tamen, attentionem ad signa morbosa, historiamque morbi priorem tribuentibus, satis manifesta apparent.

Animadvertere indicia peculiaria istorum morborum eo magis oportet, quia, ut jam dictum est, hydrargyrus copiosè usurpatus, omnia alterius morbi symptomata auget; dum in Lue Venereâ, sub variis formis apparente, illum cum effectibus diversis, diu sumptum fuisse constat.

Non meum est hos affectus medendi posteriores rationem quærere veram, neque an metallo tamdiu ad virus ex systemate prorsus tollendum adhibito, uti omnino oportet.

Symptomata primaria, quiete et regimine antiphlogistico solis, sanari posse, satis manifestum est. Secundaria quoquè, sine hydrargyro usurpato esse depellenda, pericula innumera a chirurgis militaribus facta, modusque medendi in exercitu, per tres annos posteriores adhibitus, nullum dubitandi locum præbent. At tempus longius, ad statuendum annon morbus, rebus ita se habentibus, penitùs fuerit sanatus, nunquam rediturus, necessarium erit.

Quomodocunque tractandi ratio, jam memorata, cedat, toti generi humano summi erit momenti; nam si pro certo repertum fuerit

Luem Venerem è corpore sine hydrargyro usurpato penitus esse expellendam; a multo molestiæ cavebitur, pariter ac vitæ servabuntur, præsertim illis constitutionibus quibus hydrargyrus minimè convenit; inter quas, scrofulosi, phthisi pulmonali, atque maniæ proclives sunt recensendi. Ægri ob usum nimium hydrargyri, mania correpti, rarò ad mentem restitui noscuntur.

Sed si utilitas ejus non adeo generalis est; experimenta priùs, et nunc facta, hydrargyrum non tantùm tutò, sed optimis cum effectibus, saltem pro tempore, posse omitti; donec valetudo, per modos consilio illi optimè convenientes, fuerit restituta; quo facto, multæ evitabuntur mutilationes.

Nobis est magno dolori modum tractandi illos morbos in quibus hydrargyrus tam copiosè exhibitus fuit, respicere. Alio ejus cursu alii succedente, singulisque morbum, quem consilium est sanare, augentibus; adeo ut tandèm deterius quam morbus fiebat remedium.

Num aliquis hos inter affectus intercedat nexus, difficile sit dictu; notandum tamen est,

Pseudo Syphilidem rarissimè observari, nisi in illis qui Lue Venereâ aliquo tempore priore fuerint correpti. Hæc tamen lex non est perpetua, ut grave et bene notatum morbi exemplum Classis Regiæ præfectum afficientis mihi oblatum fuit. Generosus ille tamen, nec Lue Venereâ laboraverat, neque hydrargyrum unquam sumpserat.

Mihi notum est, ab illis quibus summa est auctoritas, dictum esse, Pseudo Syphilidis multa symptomata, signis secundariis Luis similia, tantum post hydrargyrum sumptum accedere. Hoc generatim sit verum; et opinio ex morbo pro altero sæpe habito, et metallo non rectè admoto, oriri potest. Hinc, hydrargyrum exhibitum per morbum, rem tantum casu accidentem, non causam esse illius, patet; et exemplum supra traditum hoc adhuc magis confirmat.

Signum est valde egregium, quod morbum de quo agitur, comitatur; nimirum, conditio viscerum chylo-poëticorum vitiata, a statu ventriculi, et aspectu morboso egestorum, indicata. Livor quoque est egregius vultûs, quasi

aspectus chloroticus; qui modum hos morbos tractandi rite intelligentibus, probe perspicitur. Hoc symptoma ultimum, a statu organorum vitiato, qui antea memoratus est, magna ex parte procul dubio pendet.

HISTORIA SYMPTOMATUM ET CAUSÆ.

In pluribus exemplis circa tempus quo symptomata localia primùm accedunt, irritabilitas nervosa generalis, cum viribus multum prostratis, adoritur. Appetitus fit irregularis, et plerumque deficit. Color proprius vultui deest, quippe qui pallidior fit solito. Ulcuscula quæ, Anglicè, *Chancres* appelluntur, in glande penis vel præputio, signa prima localia plerumque constituunt.

Rarò sunt adeo distincta ac ulcuscula solita, sed sæpe magis irregularia, quod ad basin diffusiora, et nigriora observantur. Plurima eorum hepar, sanguinemve coagulatum, quod ad

colorem simulantia, vidi. Multum humoris raro effundunt, nec margines valdè sunt densati vel indurati quatenus mihi facultas fuit observandi, hisce saltèm ulcusculis plerumque multum irritabilitatis inest.

Bubones invadentes quod ad indolem suam sunt valdè inertes, et suppurantes pus serosum malè sanum sæpius profundunt.

Ulcera in gutture quum aliquamdiu perstiterint, huic morbo sæpissimè adsunt. Sed neque sunt adeo profunda, nec tam benè notata, ac quæ in Lue observantur. Nec ille aspectus albidus lardaceusque, cum margine bene definito, adeo est manifestus. Magis sunt dolentia, et irritabilia, atque mutationibus quæ eveniunt in conditione organorum concoctioni inservientium, et canalis intestinorum, facilè afficiuntur.

Ut in Lue, sic in hoc morbo, maculæ in superficie corporis, apparent; hæ autem inter se minus quam quædam symptomatum aliorum localium, differunt; atque attentio ad morbi historiam adhibita, medicum de affectûs natura, certiorem reddet, ejusque consilia adjuvabit futura.

Dolores nocturni, periostitis et nodi quoque invadunt. Diversas formas vel symptomata, in hoc æquè ac altero morbo, sibi succedere constat. In signis prioribus, quoad aspectus locales, evidentiora quàm in morbi stadiis posterioribus existunt discrimina. Quod ad suos tamen effectus, præsertìm in ulcerationis progressu, multùm differunt. Hunc in Pseudo Syphilide plus irritationis, sed minimè eadem erosio et jactura substantiæ ac in Lue Venereâ, comitantur. Hi quoque morbi multùm ex systemate pendent, et vice versa.

De statu vitiato organorum digestioni inservientium, ob modum imperfectum, vel irregularem quo muneribus sibi propriis funguntur, jamjam sumus locuti. Ab ipso morbi initio vitiatam hepatis actionem existere reperietur.

Fluido hoc ab organo secreto, fæcum tribuendus est color. Peculiaria diætæ genera; quædam species purgantium; aliaque medicamenta in ventriculum sumpta, dum operantur, fæcum mutent colorem. Sed horum operatio brevis est; et bilem materiam solitissimam esse colorantem, fidem non tollit.

Per totum hujusce mali decursum, si fæces inspicimus, colore profundo cacao referente, vel cinereo, simili cæmento in ædificando adhibito, atque, eâdem fere spissitudine reperientur. Alvus nunquam regularis est, quippe quæ, vel valdè astricta, vel laxa sit; sed sæpius est astricta. Fæcibus nunquam est color naturalis, et hunc tantùm induunt, proùt hepatis, ut decet, perficiuntur functiones; quibus ritè peractis, omnia citò sanantur ulcera, vires et appetitus restituuntur, livor vultûs cedit; et deniquè, actione sanâ hepati restitutâ, quod ex aspectu dejectionum apparet, salus redit; sed non nisi rebus sic existentibus, hoc evenit; quæ res, idoneam medendi rationem, non ambiguè, indicabit.

Quod ad causas hujusce morbi spectat, adhuc in tenebris versatur; ortum suum ex commercio sexuali verisimile est; sed quæ sit fœminæ conditio peculiaris, ex qua malum oritur, non planè constat.

In Lue Venereâ in hominibus diversis ista ulcuscula quae Anglicè *Chancres* dicuntur, quibus fuerunt signa peculiaria diagnostica, ad

eundem contagii fontem referre penes me fuit. Hæc tamen aspectus induunt diversos, pro constitutionibus peculiaribus illorum in quibus observantur.

DIAGNOSIS.

Ex historia morbi jam traditâ, diagnosin ejus nonnihil esse difficilem, illis imprimis, quibus aspectus peculiares morbidi, hìc apparentes, incogniti sunt; quibusque hæc signa, cum illis in Lue Venereâ spectatis, non sedulò fuerunt comparata, in aprico erit.

Præter res antea dictas, signa externa symptomatum localium, plerùmque minus esse manifesta, tardiusque progredi, opus sit dicere. Sed quia haud facilè est res locales describere, cum signa non magis sunt diversa, quàm inter morbum de quo agitur, et Luem; ut hæc discrimina per figuras coloratas exhibeantur, magnopere refert. Hoc autem non nisi ingente sumptu effici potest; atque, in dissertatione

hujusmodi, non expectandum, ideoque prorsus prætereundum est, et medici solertiæ multùm nobis fidendum est.

Sed præter differentias symptomatum localium, conditionem imprimis vitiatam generis hepatici, diagnosin longè optimam inter morbum de quo agitur, et Luem Venerem, constituere, mihi persuasum habeo. De hac conditione vitiatâ antea locutus sum, et igitur non opus est, quæ tunc dicta repetere. In Lue Venereâ hanc conditionem perraram esse, credo. Vitio saltem non necessariò adest.

Ulcerationes factæ post squamas in Lepra Græcorum formatas, pro eruptionibus cutaneis, in Pseudo Syphilide accidentibus, sæpe haberi possunt. Sed hoc ad unam rem pertinens minus interest; quia remedia hoc in morbo necessaria, alteri pariter prodesse, plerumque reperienda esse existimo.

PROGNOSIS.

Præsagium de eventu hujusce morbi ex diuturnitate vehementiaque signorum, systematis aspectu generali morbido, atque præ omnibus, ex facilitate, quâ actio sana munerum hepatis, purgantibus vel hydrargyri præparationibus, ad hoc consilium implendum adhibitis, restituitur; atque ex dejectionibus nempe quam proximè colore naturali apparentibus præcipuè deducendum est.

RATIO MEDENDI.

Nihil dubii est quin hic morbus, ob aspectus quos induit diversos, plurimaque ejusdem symptomata Syphilidis similia, multo anxietatis fuisset medico, et modum medendi valde abnor-

mem reddidisset; quatenus, dum existimabat se exhibere remedium morbo quem vellet sanare, eundem potiùs plerumque augeret, et valetudinem ægri corrumperet.

Quia signa generis hepatici vitiati hunc morbum manifestè comitantur, ad hoc vitium tollendum imprimis, nostrum esse attentionem adhibere patet; dum symptomata localia simul, pro rebus existentibus, curanda sunt.

Præter vitium organorum bilem secernentium, generalis debilitas huic morbo semper adest; et procul dubio, omnia viscera chylopoëtica, debilitate quoque laborant; et hinc tonica, et lenia stimulantia, necessaria sunt.

Decoctiones sarsaparillæ conjunctæ cum sassafras et guaiaco in hoc vitio, et summo cum commodo usurpatæ fuerunt. Huic commisturæ dotes supra dictas, inesse, censeo. Effectus diureticos quoque, verisimile, ostendunt.

Chirurgus præclarus in nosocomio ampliore navali hujusce regionis, cui certè in talibus morbis tractandis, ob ægros ferè innumeros ei commissos est summa experientia, et cui scientiam acquirendi sunt facultas solertiaque, haud forsan, ab aliis chirurgis, hisce in insulis, æ-

quanda, hæc medicamenta, in rationibus ferè sequentibus, et optimis cum effectibus, suis ægris exhibere solebat.

℞. Radicis Sarsaparillæ, ℔ i.
Ligni Lauri Sassaf. ℥ iv.
Ligni Guaiaci, ℥ iv.
Radicis Glycyrrhizæ glabræ, ℥ iv. M.

Coquenda hæc sunt in quinque vel sex congiis aquæ, donec ad tres congios redacta fuerint. Colenda est decoctio, et reponenda ad usum. Quam formulam, ab experientia mea, et idoneam et efficacem existimo. Octarius decoctionis quotidie est sumendus.

Præter hoc medicamentum, ad alvum attentionem adhibere prorsus opus est; eamque laxam catharticis sæpe repetitis servare oportet. Et quia hæc medicamenta, longo usu, inertia, vel saltem minùs valida fiunt, eadem subinde mutare, et quoque prorsus intermittere pro aliis, necesse erit.

Formula quæ sequitur, ad alvum ciendam, æque ac statum generis biliosi mutandum utilis haberi potest.

℞. Pulpæ Tamarindarum, ℥ x.
Scammoniæ Pulveris, ℈ ii. ſs.
Submuriatis Hydrargyri, ℈ i. M.

Fiat electuarium cochleare minimum capiatur tertiâ vel quartâ quâque nocte.

Sed hoc catharticum, non secus ac omnia alia, cum effectus ejus minui incipiant pro altero mutandum est. Hoc omisso, pilula cœrulea pro alterativo, multo cum commodo, usurpari potest. Cavere autem oportet ne hæc ptyalismum, diarrhœam, vel auctam perspirationem, inducat.

Quædam medicamenta lenia mercurialia, morbo immutabili perstante, simul cum electuario scammonii, exhibere opus erit. Præparationes hydrargyri ut stimulum generalem, imprimis generi hepatico præbeant, in quod rite applicatæ, effectus suos bene cognitos edunt; igitur ad hunc morbum sanandum magnoperè auxiliantur.

Præter hæc medicamenta, attentio ad diætam multùm refert, quæ debet esse nutriens, et facilis concoctu, et potius parcè exhibenda. A vino vel liquoribus spirituosis, sedulo opor-

tet cavere; nisi debilitate summâ existente, cum illud parcè, et pro rebus existentibus, concedi potest. Debilitate sublatâ, vinum omittendum est.

TRACTATIO LOCALIS.

Progressum symptomatum localium, sanitate redeunte, ex facilitate quîcum signa generalia debellantur, magna ex parte pendere patet; sed applicationes locales quoque ad sanationem promovendam necessariæ fiunt.

Ulcuscula quibus *Chancres* imponitur nomen, in affectibus hujusmodi valdè sunt irritabilia, iisque multo minus indolis venereæ quam ullis aliis symptomatum inest. Difficiles sunt sanatu, et aspectum lividum sæpe induunt. Operimenta simplicia optimè convenire apparent. Aquosæ opii solutiones, ad mitigandos dolores et irritationem, quæ sæpiùs sunt molestissima, ægrotantibus multum afferunt auxilii.

Bubones in hoc morbo plerumque sunt inertes. Resolutio per modos solitos promovenda est. Quies strictè est præcipienda, et lotiones saturninæ ad partem affectam admovendæ. Applicationes mercuriales externas, consilio istos bubones resolvendi nunquam admovi, sed easdem sedulo esse evitandas, vellem credere. In exemplis valdè inertibus, præbendo stimulum absorbentibus, fortasse sint utiles; sed alia ad hoc consilium implendum, reperiantur. Si, hâc ratione medendi exercitâ, suppuratio accederet, tunc ad fomenta calida, et cataplasmata confugere oportet. Pure plenè formato, hoc emittere opus est; quod ope caustici fortasse optimè potest effici.

Causæ quibus caustica hìc scalpello anteponenda sunt, ac in aliis bubonibus aperiendis, eædem sunt. Verisimile diminutio molis tumoris ab caustico inducta, est inter causas præcipuas cur hoc anteponendum est. Sed utentibus caustico vel scalpello, ad aspectus bubonis, et ægros ipsos, aliis scalpellum, aliis causticum timentibus, attentio a nobis adhibenda est.

Quod ad bubonem ipsum pertinet; si hic amplus et flaccidus est, causticum commodissimè applicatur, et quædam ex integumentis superfluis amovebit; si contra, parvus est, scalpello fortasse uti præstabit. Post pus effusum, cataplasmata pro tempore continuari oportet; his omissis, operimenta simplicia, applicationes lenes et stimulantes, et solutiones aquosæ opii, proderunt. Hæ aliæque applicationes, pro re nata, admovendæ sunt. Et hìc observare liceat, ac in aliis, sic in hoc ulcere, quod applicationi cuilibet diuturnæ effectus gradatìm pereunt, et hinc mutatione opus est.

Ulcera tonsillas et velum pendulum palati adorientia, neque sunt adeo profunda, nec adeo insignia, ac in Lue observantur; plerumque tamen plus doloris efficiunt. Gargarizmata sunt utenda; solutio tenuissima sulphatis cupri huic consilio, optimè respondet. Superficiei istorum ulcerum argentum nitratum admovere sæpe necesse fit; et hoc, pauxillo curæ adhibito, sine ore vel faucibus affectis, fieri potest.

Maculæ in cute, ulceratione correptæ, aliquas applicationes postulant locales, quas inter optimas fortasse est unguentum citrinum cum axungiæ copiâ mistum, quod semel, sæpiusve, pro re nata, in dies sit applicandum. Ante crustas ex maculis sublatas, simplex cum aqua tepida utilis erit ablutio; ac si maculæ passim per corpus observantur, balneum calidum, summo cum fructu, adhibeatur.

Dolores nocturni, nodi, aliaque mala Syphilidis similia non secus ac in altero morbo occurrunt, quæ sanari non possunt, donec virus huic morbo proprium e systemate ex toto fuerit sublatum; symptomata autem molestiora pro re nata modis diversis levare haud difficile reperietur.

Descriptionem curationemque morborum syphiliticorum, quantum penes nos erat, jam tradidimus; multa tamen de his adhuc latent, quia hæc medicinæ pars in cunabulis adhuc esse apparet.

Facies diversæ quas induunt hæc vitia, et similitudo insignis quæ hæc inter aliaque signa observatur, eadem summi esse momenti me-

dico ostendunt, simulque ei scrupulum injiciunt, ad quas difficultates tollendas, plurimùm experientiæ investigationisque accuratæ tantùm vi pollet.

Vitio tamen sanato, ad morbum existit proclivitas, quo redeunte, eadem medendi ratio iterum instituenda est. Secundam morbi accessionem, quam primam sublatu esse faciliorem, plerumque reperietur.

FINIS.